

est) & in vinearum demortuarum vel arborum locum alias debet substituere: Recte enim colere & quasi bonus paterfamilias debet.

L. 22. tit. 31. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Inter onera que fructuario incumbunt unum esse ut rem fructuarium tueatur & quid ea tuitio deretur.

Longius à via digreditur Imperator: sequendum tamen quocumque trahit. Cum fructus omnes sive ex re nascantur sive per causam rei jure percipiuntur fructuarii lucro cedant, æquum est ut is vicissim onera rei fructuarie adjuncta agnoscat, juxta regulam naturæ, l. 10. de reg. jur.

1. Inter onera autem que fructuario incumbunt hoc unum est ut rem fructuarium tueatur, l. 44. de usufr. Hæc autem tuitio cum exigit ut rem quam accepit integram & in suo statu conservet quantum curâ & reparatio fieri potest, ideo & curam ac diligentiam rei servandæ adversus imminetia pericula adhibere debet; & quidem talem qualem diligens paterfamilias suis rebus adhibere solet, l. 65. eod. l. 1. in fin. l. 2. usufr. quemadm. cav. & suo sumtu sarcire ac reparare que vitii aliquid contraxerunt ac discesserunt à priori integritate: pura si quid reficiendum est sarta tecta præstare, animalia ægrotâ curare, gregem ex foetu supplere, in locum arborum demortuarum alias substituere, in summa recte colere atque ut bonus paterfamilias uti, l. 7. §. 2. & 3. l. 13. §. 2. l. 18. l. 45. l. 65. l. eod. in fin. & 2. ll. seq. ff. de usufr. l. 7. C. eod.

Gregis usufructum] Ait gregis; nam si non gregis aut universitatis usufructus nomine collectivo legatus sit sed singulorum capitum, veluti omnium ovium, nihil supplere cogitur fructuarius l. 70. §. 3. de usufr. quippe in his que numero certa sunt & designata, non est augmento locus; & tot sunt tunc usufructus quot sunt capita fructuarîa, quorum uno mortuo usufructus iste exiungitur.

Demortuarum capitum] Ait demortuarum. Ulpian. d. l. 68. in fin. de usufr. hoc ideo quia si vi externa capita aliqua ex grege perierint, incendio pura aut ruina stabili aut prædationum impetu, hos casus fructuarius præstare non debet, nec in locum amissorum alia substituere, arg. l. 59. de usufr.

Ex facto submittere] Ait ex foetu. Neque enim de suo gregem supplere fructuarius cogitur sed ex agnatis capitibus, hoc est natis ex eodem grege, d. l. 68. in fin. de usufr. Proinde si ex grege nondum ulla nata sint prioribus demortuis, aut si oves aborierunt aut foetus perierunt piusquam submitti possent nihil supplere debet fructuarius. In locum quoque eorum capitum qui vel senio vel vitio corporis inutilia facta sunt alia ex foetu submittenda, l. 69. eod.

Submittere debet] Submissionis effectus hic ut substituta capita statim domini fiant, si cum post substitutionem priora sive demortua vel inutilia & vitiosa sunt fructuarii. Hæc enim ex natura fructus desinunt esse proprietarii, d. l. 69. de usufr.

Vinearum demortuarum vel arborum] Ait hic item demortuarum, sicut Paulus l. 18. de usufr. nimirum ideo quia in locum arborum vi tempestatis eversarum alias substituere non tenetur, l. 59. eod. Quippe usufructuarius omnia quidem etiam que sine culpa ejus contingunt, sed sola rei & interna incommoda ac detrimenta sustinet; que autem vi contingunt externa nec à re ipsa proficiscuntur, placet ad onus fructuarii non pertinere, ex reguli & jure communi de casibus fortuitis, l. 23. de reg. jur. l. 6. C. de pign. act. Ulpianus in l. 7. §. ult. de usufr. scribit, fructuarius cogi & adserere arbores: quod Græcis est κεραιότορος, id est forare medullam arboris stertilis & in eam fecunda calanum immittere; insitionis species pro genere. Qua forma Papinianus dixit adserere prolem pro adoptate, sicut scilicet inforatione surculus truncum adoptat. Cujac. 11. obr. 36. Vinn. Elegans est hæc conjectura Cujacii, sed ex mea sententia non admodum solida. Adserere enim prolem Papiniano est adoptate, non quia si adoptans filium quasi inserat familiæ, sed quod adoptans veteri ritu filium adoptivum adserbat, id est sibi vindicabat formula illa notat: HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITUM MEUM ESSE AJO. EST ENIM MIHI EMTUS HOC AERE HAC ÆNEAQUE LIBRA. Hæc.

Recte enim colere] Non satis officio suo fungi videri debet usufructuarius si fundum utitur que colat, nisi eum ita colat ut ne deterior fiat causa usufructus, omniaque faciat que faceret in re sua, sicut cautione fructuarîa continetur, l. 1. §. 3. usufr. quemadm. cav.

De inventione thesauri.

39. Thesauros quos quis in loco suo invenit Divus Hadrianus naturalem æquitate secutus ei concessit qui eos invenit. Idemque statuit si quis in sacro aut religioso loco fortuito casu invenit. At si quis in alieno loco non data ad hoc opera sed fortuito invenit dimidium domino soli concessit & dimidium inventori. Et convenienter si quis in Cesaris loco invenit dimidium inventoris & dimidium esse Cesaris statuit. Cui convenienter est ut si quis in fiscali loco vel publico vel civitatis invenit dimidium ipsius esse debeat & dimidium Fisci vel civitatis.

L. 45. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Thesauro appellacione significari quævis opes repositas, tum etiam ipsum locum in quo asserantur; & ratio nominis.
2. In questione proposita quid eo verbo nostri intelligantur & quo referenda hæc adquisitio.
3. Locum proprium hic intelligi etiam cum in quo alius usufructum habet; secus si jus emphyteusos aut feudum.
4. A Divis Fratrum nihil mutatum esse ex eo jure quod de thesauro in loco sacro aut religioso reperit Divus Hadrianus constituit.
5. Cur cetera res hujus generis etiam in alieno quævis occupantiam fiant, thesaurus non item. Et n. 9.
6. Cur thesaurus non totus cedat inventori, ut res cetera que nullius sunt.
7. Distinctio rerum Cesaris, Fisci, publicarum & civitatis.
8. Summa juris de thesauro constituti.

PARTES propositæ tractationis que à Justiniano passim sparse sunt commodioris doctrine causa ad duo summa capita revocari posse, occupationem scilicet & rei nostræ potestatem, supra diximus in explicatione §. 11. hoc tit. & progressi ostendimus singula in que incidimus ad alterutrum horum capitum pertinere: nihil quod nobis potestatem rei nostræ quærat superest. Ad factum & occupationem nostram pertinent inventio thesauri, apprehensio rerum que à dominis vel traduntur vel pro derelicto habentur, in quibus porro explicandis hic titulus consumitur.

1. Thesauro] Thesaurus Græcis & Latinis idem est quod Persis *Gasa*, nimirum quælibet divitiarum quas in usum futuri asservamus aut recondimus. Nam & pecunia nuper deposita & cujus dominus non ignoratur passim thesaurus appellatur, etiam apud nostros, ut in l. 2. fam. ere. l. 15. ad exhib. l. 44. de adq. poss. ac de tali quoque thesauro accipienda l. 3. §. 3. de adq. poss. ut recte existimat Godofredus injuriâ notatus à Bachov. Vid. Duar. ad d. §. 1. Locus quoque in quo opes asservantur, vel γαζοφυλάκιον, thesauros appellatur. Plutarchus in Solon. Εκλάσας ἀσπὴ τὰς θησαυρὸς ἀνίκα τὰς χερσὶν τῶν ἰμπερατορῶν ἰπὶ ὀπὴν thesauros indicare. Hinc per translationem Cic. 1. de orat. cap. 5. memoriam dicit esse rerum omnium thesaurum. Atque hæc significatio etiam rationi nominis convenit. Quamvis enim Connan. §. comm. 4. & Don. 4. comm. 14. thesaurum inde dici putant quod τις ἀγορῶν, in crastinum sit repositus, ut sit *θεσῖς τις ἀγορῶν*; proprius tamen vero est vocem esse conjunctam *εἰς τὸς θησαυροὺς καὶ ἀγορῶν*, ut sit conditionum pecunie. Hoc enim nomine veteres Græci pecuniam vocabant, qua qui abundabat, ἀγορῶν dicebatur, teste Hesychio.

2. Ceterum in questione de acquirendo rerum dominio, cum agitur de thesauro occupatione acquirendo, Jurisconsulti thesaurum appellant eam dumtaxat pecuniam que olim condita nunc cum reperitur à quo condita aut cujus sit ignoratur, l. 31. §. 1. de adq. rer. dom. l. unic. C. de thes. l. 67. de rei vind. convenienter nimirum argumento quod tractant; cum non alius thesaurus sit idoneus qui hoc modo adquiratur quam qui dominum non habeat. Nec repugnat communis & popularis loquendi consuetudo. Igitur in questione proposita thesaurus, definitore Paulo in d. l. 31. est vetus quædam depositio pecunie cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Cui descriptioni similis est illa Leonis in d. l. un. de thesaur. thesaurum interpretantis condita ab ignotis dominis tempore vetustiore mobilia; & Cassiodori lib. 6. var. cap. 8. definitis depositivum pecuniam que longa vetustate competentes dominos amisit. Atque hinc jam etiam liquet thesaurum quoque pertinere ad regulam juris gentium de rebus nullius; quamquam non per omnia in thesauro occupando & nostro faciendi idem servatur quod in ceteris rebus que nullius sunt. Nam ceteræ hujus generis res quovis loco occupatæ totæ sunt occupantibus.

tis; thesaurus autem extra locum proprium re-
peritur quo nullius sunt occupantis etiamsi
data opera quasitæ sint in alieno; thesaurus in
alieno quasitus nullo modo. Quod quam-
obrem tam varie placitum intelligitur non ita
multo post.

3. *Quis quis in suo loco invenit*. Sive
data opera quasitus sive forte fortuna: tan-
tum magis artes ad thesaurum in suo inveni-
endum prohibentur, quas & ubique excipi
oportet, *d. l. un. C. de thesaur.* Ait in loco
suo. Proprium locum accipere debemus etiam
eum in quo alius usufructum habet, *arg.
pr. tit. Inst. infr. de her. inst.* Proinde si in
eo loco proprietarius thesaurum invenit in
suo invenisse intelligi debet, & totum sibi
quisisse. Si alius, pars dimidia inventoris
pars altera proprietarii erit. Idemque dicen-
dum est si usufructuarius invenit: quoniam
thesaurus in fructu non computatur, *l. 63. §. 3. de adq. rer. dom.* Unde etiam est quod
thesaurus à marito in prædio dotali inventus
pro parte dimidia tantum mariti lucro cedat,
pro altera dimidia sit retinendus quasi in
alieno inventus, *l. 7. §. 2. sol. matr. Moller.*
4. sen. 27. Agitur autem veltigalis sive emphy-
teuticus magis est ut emphyteutæ proprius exis-
timetur, & jusque qui dominium utile quam qui
directam habet. Nam ad emphyteutam per-
tinet plenissima rei utilitas, & pari jure
quod dominus rem tenet ac possidet; adeoque ad-
versus ipsum etiam directum dominum utilem
in rem actionem habet, *l. 15. §. 1. qui satid.*
*leg. l. 1. §. 1. si ag. velt. l. 25. §. 1. in fin. de
usufr.* Longe igitur distat emphyteuta à fructu-
uario: emphyteuta jus habet in corpore &
substantia rei, fructuarius non item. Hinc est
quod fructuarius in edicto *Qui satidare cog.*
pro possessore non habetur; emphyteuta con-
trà, *d. l. 15. §. 1. qui satid. cog.* quod arbores
vi ventorum dejectæ ad emphyteutam pertinent
non ad fructuarium, *l. 22. de usufr.* Si quid
servo in quo cui usufructus legatum aut do-
natum sit, id non fructuario sed domino pro-
prietatis acquiritur, *§. 4. Inst. infr. per quas
pers. cuique adq.* si servo emphyteuta, ipsi em-
phyteute. Quam ob causam dubitandum non
est quin si ipse quoque emphyteuta in prædio
in emphyteusim sibi concessio thesaurum simi-
liter invenit totum eum sibi soli recte
vindict; eademque plane ratio est vassalli
qui thesaurum reperit in fundo feudali, *arg.
cap. un. de invest. de re al. fact. lib. 2. feud.*
Myus. Schneid. Wesemb. post Gloss. & DD.

comm. bic. Nic. Burgund. ad cons. Fland. vassal.
12. Christ. vol. 6. dec. 21. n. 19. & seqq.

Hadrianus naturalium æquitate secutus Hoc
est, secutus regulam juris nature sive gen-
tium de rebus que nullius sunt occupantis con-
cedendis, *§. 12. sup. hoc tit.* Nimirum cum
etiam thesaurus numeretur inter ea que nul-
lius suat, æquum esse censuit Hadrianus etiam
in thesauro occupato regulam isam servari,
& quidem per omnia si quis invenisset amico
Heruæ in suo: quippe qui & alia ratione
ita repetum vindicare posse videatur, veltan-
quam beneficium & commodum rei suæ, vel
quod simile vero sit eum à majoribus suis
conditum esse; hæc enim ratio facit ut in
alieno reperti dimidium concedatur domino
soli.

4. *Idemque statuit si quis in sacro aut religio-*
[Quod hic Hadrianum constituisse re-
fert Justinianus id à Fratibus Principibus
civilis ratione mutatum esse existantem Accus.
Ang. Pot. Fab. Schneid. bic. Duar. de adq.
rer. dom. Don. 4. comm. 14. Sic enim scribit
Callistratus *l. 3. §. pen. de jur. fisci*: Si in lo-
cis fiscalibus vel publicis religio sine aut monu-
mentis thesauri reperti fuerint, Divi Fratres
constituerunt ut dimidia pars fisco vindicaretur
quam sententiam veram quid. m. esse fatetur
Covarr. in cap. peccatum de reg. jur. in 6. p. 3.
relect. §. 2. n. 3. sed ille constitutionem Di-
vorum Fratrum à Justiniano iterum abrogata
contendit qua parte illa derogaverat
edicto Divi Hadriani. Neutrumprobabile mi-
hi videtur. Nam si edictum Hadriani rescripto
Antonini & Veri sublatum fuisset, urique
non quid ille sed quid hi de thesauro in lo-
co sacro religio sine inventis constitissent
Justinianus commemorasset; & cum simplici-
ter referat edictum Hadriani non facta men-
tione rescripti Fratrum Imperatorum, vix est
ut dici possit hic aliquid novi juris ab eo
constitutum esse. Arbitror commoda expli-
catione *d. l. 3. §. pen.* cum hoc nostro §. con-
ciliari posse: quamvis id negat Ant. Matth.
Constituit Hadrianus thesaurum ejus esse qui
eum invenisset in loco suo: addidit idem
esse etiamsi in loco sacro aut religio sine
reperit sit, nimirum ejus itidem esse ejus est
fundus in quo loca ista sunt perinde quasi in
suo adhuc reperisset. Nam etsi loca sacra &
religiosa nullius vere in bonis sint, ejus ta-
men aliquatenus sunt ejus in usu & fundo
sunt; & quodammodo juris privati, *arg. l. 5.
& seq. de relig. l. 9. §. 1. ad leg. Jul. pec. l.
24. de contr. emt.* Neque potest sine injuria
vel

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c. 221

vel in Deos ipsos Deorum beneficio privati
qui vel ipse, vel cujus majores partem fun-
di sui divinis usibus dicaverunt. Quid Divi
Fratres in *d. l. 3. §. pen. de jur. fisci*? Consi-
tuerunt, inquit Callistratus, ut thesauri in
locis fiscalibus vel publicis, religio sine aut
monumentis reperti pro parte dimidia fisco
vindicarentur. Titulus ipse & rerum conjun-
ctio ostendunt loqui Imp. de locis religio-
sissimis similibus publicis, in quibus scilicet
fiscus jus habet aut qui fisci quodammodo
sunt, puta quod ad fiscum sorte perven-
runt; juxta *l. 6. de jur. fisci.* vel que publice
civium funeribus destinata sunt, ejusmodi
tenuiorum tumulis in suburbanis fuisse auctor
est Aggen. Umbicus. In his locis eodem jure
ut fisco velvnt quæ utitur in rebus publi-
cis juris profani, aut quo utuntur privati in
loco suo sive profano sive religioso. Et ve-
ro ob loci religionem aut sanctitatem nihil
novi juris hic constitutum fuisse, argumento
est quod Leo Imp. in *d. l. un. C. de thesaur.*
simpliciter distinguit an quis in suo loco re-
pererit aut in non suo, nulla facta mentione
sacri aut profani, quasi hoc nihil ad rem fa-
ciat. Idque ex Elio Spartiano in *Hadri. cap.
18.* etiam certius colligas, qui itidem sine
ulla rerum distinctione refert Hadrianum de
thesauris ita cavisse, ut si quis in suo reperisset
ipse veniret; si quis in alieno dimidium
domino daret: si quis in publico cum fisco aqua-
liter partiret. Nulla igitur est pugna inter
d. l. 3. §. pen. & hunc §. nostrum, quæ de
loco religioso privato accipi oportet, su-
dene id ipsum quoque rerum in eo conjunctio-
ne & discretionem manifesteque habetur Ba-
chovius qui ob conjunctionem loci religiosi
& sacri negat hæc interpretationem admitti
posse eo quod nulla loca aut ædes sacre pri-
vate dici possint; hoc enim falsum esse &
sacella privata propriasque suas adiculas Ve-
teres habuisse vel unus Paulus eum docere
poterat in *l. 9. §. 1. ad leg. Jul. pec.* ita pro-
ferendum & Connan §. comm. 4. Charoud. 1.
Wesemb. bk. Vinn. Adeundus hic omnino Jac.
Gothofred. ad *l. 1. C. Theod. de thesaur.* ubi to-
ta hujus legislationis historia erudite exponit.
Hæc.

Fortuito casu Thesaurus quem inveni
in loco meo sive fortuitum sive quasitum meus
est; si nihil lo us meus sacer est vel reli-
giosus, non alias meus erit quam si fortu-
ne quasi munere mihi oblatu fuerit, nullo
adhuc perscrutandi studio: quod proculdu-

bio ideo placuit ne datur occasio violandorum
sepulcrorum & aperendi urnas defunctorum si
etiam si dios quasitum inventumque suum
quisque faciat sibi que habeat.

5. *At si quis in alieno* Ceteræ res que
nullius sunt occupantium fiunt etiamsi data
opera in alieno quasitæ sint, ut de feris bes-
tiis in fundo alieno invest gatis & captis dix-
imus; thesaurus in alieno quasitus & inven-
tus ne pro parte quidem sit inventoris sed to-
tus domino reddi jubetur, *d. l. un. C. de thes.*
Ratio diversi juris hæc est, quod qui firam
in alieno capit aut rem, puta pro delicto
habitam, tollit nihil fundo aut fundi domi-
no nocet; ad thesaurum vero perveniri non
potest sine effossionibus & manifesto damno
fundi in cujus visceribus thesaurus abditus
jacet. Aliena autem effodere sine permisso do-
mini, inque his latentem primario opes merito ve-
litum & poena non remanet dignum, *d. l. un.
l. 2. C. Theod. de thesaur.*

6. *Dimidium domino soli* Thesaurus in
alieno loco casu inventus dum quis arat aut
quid aliud in eo operis facit pro dimidio in-
ventoris fit, pars altera dimidia conceditur
domino soli, *l. 63. §. pen. & ult. ff. de
adq. rer. dom. d. l. un. C. de thesaur.* Cur ve-
ro, inquis, non totus cedat inventor, sicuti
ceteræ ejusdem generis res occupantis totæ
sunt loco quocumque occupatæ, ut fera be-
stia, res pro delicto habitæ, gemmæ & la-
pilli inventi in litoribus? Nimirum quia illæ
vere nullius sunt, thesaurus non est: quippe
quem nemo eo animo abscondit ut eum in
numero rerum suarum esse nolit sed ut te-
stis loco custodiat; tantum ideo nullius esse
dicitur quia cujus sit non apparet. Nam
etsi dominum per rerum naturam habeat, hæ-
redem scilicet ejus qui eum dedidit, quamvis
per longissimam successionem primo domino
succedentem: apud nos tamen non habet, quia
à nobis dominum ignoratur; ob quam incerti-
tudinem itum est ad hanc partitionem ut pars
usa inventoris pars altera domino loci adju-
dicetur. Tametsi enim pro inventore dici
poterat thesaurum ut rem nullius eorum ei qui
invenit tibi oportere, propterea quod de
his que non apparent perinde judicandum sit
quasi non essent, *l. 77. de contr. emt.* domi-
num tamen loci & sua & par ratio defendit,
qui contra sibi thesaurum vindicans dicere po-
test nihil esse verisimilius quam quod à ma-
joribus suis profectus sit; in proprio enim,
quia tutius, non in alieno thesaurus condit;
adhuc fundi in quo tanto tempore asserva-
tus

tus esse quodammodo beneficium esse. Quam ob causam cum Imp. Gratianus Valentinianus & Theodosius partem quartam dumtaxat domino loci assignasset, l. 2. C. Theod. de thesaur. merito Imp. Leo, abrogata eorum constitutione, ad qualitatem partitionis & veteram constitutionum normam rem revocavit. Vinn. Videtur ratio hujus divisionis inde repetenda quod Veteres disputarent, accessionis iure inventionis vel occupationis adquiratur thesaurus. Prius placuit illis quos hic sequitur Imperator, postea Paulo l. 31. §. 1. ff. de adq. rer. dom. Qui prius admittebant principium totum thesaurum vindicabant domino fundi, qui postea inventori Hadriani utrumque conjunxit, & dimidium domino addidit jure accessionis, dimidium inventori jure occupationis rei pro derelicta habitae. HEN.

7. In Caesaris loco [C.] Distinguit Imp. loca Caesaris a locis fiscalibus, & haec a locis publica, publica a locis civitatis. Res Caesaris dicuntur bona Principis patrimonialia. Res fisci sunt veluti bona proscriptionum, vectigalia, commissa, bona caduca, quae quidem & ipsa quasi propria & privata sunt Principis, l. 2. §. 4. ne quid in loc. publ. sed ut Principis, & ratione imperii. Publica loca appellat quae in usu publico sunt populi Romani, veluti arae, insulae, agri, viae itineraque publica, d. l. 2. §. 3. Loca civitatis quae usibus civium in municipiis & singulis civitatibus deserviunt, §. 6. sup. hoc tit. quae a publicis eodem sensu hic separat quo Ulp. bona civitatis ab iis quae populi Romani sunt, l. 15. de verb. sign. Spartianus in Hadr. cap. 18. omnia ista loca designavit uno verbo publici. Haec obiter in praesentia; subtilis usum Caesaris, fiscalium & publicarum discrimen exquiramus §. ult. Inst. inf. de usuc.

8. Dimidium fisci vel civitatis] Sive in loco alieno privati alicujus sive in loco Caesaris aut publico fisci vel civitatis thesaurus reperitur sit, medietatem dumtaxat inventor consequitur, pars altera reperiuntur ad eum pertinet qui loci dominus est aut jus imperiumve in eo habet. Et quod diximus de loco privato, non aliter partem in eo reperi inventoris fieri quam si fortuito & aliud agens invenit, aliqui totum restituendum esse ei cuius est locus: hoc non minus obtinere debet in locis publicis, ut in his etiam consultata opera questus & inventus similiter totus pertineat ad Principem vel civitatem. Non enim magis fas esse credendum est publica lo-

ca effodere & scrutari quam privata aliena. Facit constitutio Frederici lib. 2. Feud. tit. 56. quae sint regal. in fin. Quod si inventor partem thesauri ad fiscum pertinere suppresserit, totum cum altero tanto cogitur solvere. Deferre autem se nemo cogitur si pars fisco non debeat, l. 3. §. ult. de jur. fic.

9. Summa juris de thesauris editio D. Hadriani constituit haec est, ut si quis thesaurum in suo reperisset sive questum sive nihil tale cogitans totum sibi habere; si quis in alieno non data ad hoc opera, dimidium domino daret, partem alteram dumtaxat ipse consequeretur; si quis in loco publico item non data opera, cum Principe aut civitate aequaliter partiretur. Si quis autem scrutatus in alieno sive privato sive publico thesaurum invenisset, is totum hunc domino loci eive ad cuius curam vel imperium locus pertinet reddere cogetur. As hoc jure cum procedente tempore recessum esset, ut constat ex tit. Cod. Theod. de thesaur. reditum illud est a Leone Nepote l. un. C. Justin. de thesaur. iterumque vigore suo privatum, restitutum a Leone Philosopho Nov. Leon. 51. A Frederico nihil mutatum tit. quae sint regal. ad praesentia. Loca thesaurorum, ut & alia praerogativa adveniens (absque domino) Principis sibi vindicant, & quidem in solidum quocumque in loco reperi fuerint; esque id aunc jus commune & quasi gentium. Nam & in Germania & Gallia & Anglia & Hispania & Dania id observatur, teste D. Grot. 2. de jur. bell. c. 8. n. 7. add. Peregrin. lib. 4. de jur. fic. cap. 2. Covart. in rel. c. peccatum de reg. jur. in 6. part. §. 1. §. 2. Lebrer. lib. 3. de la Souveraineté, c. 6. Christin. vol. 5. dect. 16. Theodorici quoque Rex thesaurus quocumque loco reperi publico vindicari jussit: Sine damno enim, inquit, inventa perdit qui propria non amittit. Cassiodorus 4. var. 34. & 6. 8. Vinn. Quod de generali totius Europae consuetudine retulit Covarrub. in cap. peccatum de reg. jur. in 6. thesaurus ceterasque res quae dominum non habent ad Principes spectare, id apud nos certi explorataeque juris est. Itaque res pro derelictis habitas (biens montencos Hispani vocant) ad Cameram Regiam spectare dicitur in l. 6. tit. 13. lib. 5. Recop. Eodem prorsus pacto ac auri metallive fodinae & salis mineralia ad Regem pertinere statutum est l. 2. & seq. tit. 13. lib. 6. Recop. Theauri denique quocumque loco inventi fuerint Regis esse dicuntur in l. 1. diff. tit. ubi quarta inventoribus porro promittitur, quae lege derogatum

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c. 223
um esse l. 45. tit. 28. Part. 3. asserit Covarrub. diff. loc. l. cet contrarium tenet Gregor. Lop. ad diff. l. Paris. qui has leges nisus est conciliare. Usus tamen sapientissimi Praesulis confirmavit sententiam. ADDIT.

TEXTUS. De traditione.

40. Per traditionem quoque jure naturali res nobis adquiruntur, nihil enim tam convenientis est naturae equitati quam voluntatem domini voluntis rem suam in alium transferre ratam haberi; ideo cujuscumque generis sit corporalis res tradi potest, & a domino tradita alienatur. Itaque stipendiaria quoque & tributaria praedia eodem modo alienantur. Vocantur autem stipendiaria & tributaria praedia quae in provinciis sunt, inter quae nec non & Italica praedia ex nostra constitutione nulla est differentia, sed ita quidem ex causa donationis aut dotis aut qualibet alia ex causa tradantur sine dubio transferuntur.

L. 46. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Citra traditionem dominia rerum jure gentium non transferri, & quam rationem hoc habeat.
2. An ad transferendum dominium requiratur vacua possessio traditio.
3. Responsum Triphonini sub tit. de fund. dot. expostum.
4. Traditione non transferri dominium nisi justa causa, sicut opinione tradentis, praeteritis propter quam traditio sequatur.
5. An & quando discepto in causis tradendi & accipienti impediat dominii translationem.
6. De veteri discrimine dominiorum nonnulla.
7. Quae jus olim possessores praediorum provinciarum habuerint.
8. Stipendium & tributum uno voce dici.
9. Provincialium quoque vectigales, qui stipendiarum sive tributarii appellati.

Hae quoque acquisitionis species ad generale occupationem referri debent. Nam cum traditione rem adquiri dicimus, non intelligimus solum factum tradentis sed effectum magis etiam rei traditae acceptionem atque apprehensionem; quippe sine qua traditio non perficitur, hoc est, dominium non transferretur ad acquirentem, l. 55. de obl. &

223
atq. Differat autem hic modus acquirendi a superioribus jusdem generis, quod earum rerum quae nullius sunt acquirendarum ratio praeter apprehensionem nihil desiderat, quia occupantur sine cujusquam injuria; quae ex hostibus capiuntur invitis dominis ad nos transiunt jure belli. In specie autem proposita non satis est nanciscendi dominii causam rem apprehendisse nisi & voluntate domini in hoc tradita sit, quod omnino hic exigit ratio juris gentium, d. l. 55. l. 2. de hic qui sui vel al. jur. l. 11. de reg. jur. Et quia nemo eo animo est ut velit rem suam in alium transferre sine causa, inde est quod cum in ceteris omnibus juris gentium acquisitionibus modus acquirendi idem sit & causa sive titulus (verbi causa occupatio ferae bestiae est & modus acquirendi & titulus), ea in hac specie perpetuo distinguuntur. Modus acquirendi est traditio vel potius rei traditae acceptio & apprehensio; titulus, veluti emptio, permutatio, donatio ceteraque cause ex quibus res a domino tradita dominum in accipientem transit, si minus jus usucapiendi, l. 31. de adq. rer. dom. l. 2. & seq. de Publ. in rem act.

Per traditionem] Traditio vel vera est, quae naturalis datio appellatur, l. 8. de pecul. & in re nobili est de manu in manum translatio, in re soli in possessionem inductio; vel ficta, quae commoditatis causa fit vel brevi manu, vel actu aliquo corporis, aut nota sive symbolo quod veram traditionem representat. Non minus vero ficta & symbolica traditio dominium in accipientem transit quam vera & naturali, §. 43. & seq. inf. hoc tit.

1. At citra ullam traditionem nudis & solis pactis dominium non transferretur, etiamsi id agatur in negotio gerendo ut transeat; verbi causa, placuit inter nos ut mea res esset tua, licet id placuerit ex justa causa, puta quia eam tibi vendidisti non ante tamen tua erit quam a me tibi tradita sit. Vid. l. 20. C. de pall. l. 50. ff. de rei vind. l. 15. & 27. C. eod. l. 6. C. de her. vel act. vend. Cur vero ad dominium transferendum non placet sufficere nudam conventionium voluntatem? Nimirum quia nemo ex ratione juris gentium factio suo rem, sive ea nullius sit sive alterius, acquirit nisi cuius potestati & manui subjecta sit; quod ita quisque consequitur si eam apprehenderit, si possessionem ejus nanciscatur, arg. l. 1. de adq. poss. Non aliter autem possessio rei alienae apprehendi & per eam potestati nostrae res subijci potest, quum si dominus eam traderit in cuius tam-
po-

potestate est & manet. Diss. tamen D. Grot. 2. de jur. bel. cap. 6. §. 8. contendens, ex ratione juris naturæ seu gentium nihil amplius ad translationem domini requiri quam solam voluntatem domini rem suam alteri in hoc addicentis; jure autem & ratione civili in seruitum esse securitatis domino causa & occurrenti temerarii alienationibus ut tunc demum dominium à priore domino habeat cum is alteri rem tenendam & possidendam traderit; quod quia à multis gentibus receptum jus gentium improprie dicitur.

2. Sed posito eo quod diximus & quæ Veterum sane omnium sententia fuit, traditione non nuda conventionem dominium jure naturali sive gentium acquiri, questum porro ab Interpp. est, an in proposito ad dominium transferendum sufficiat rem quilibet tradidisse, cum ea tradita sit vacua ab omni detentore qui apprehensionem impediatur; an vero ad eam rem necesse sit tradere rei vacuum & plenam possessionem. Brevier, an res ab alio possessa ita alicui tradita possit ut dominium in eum transeat. Fingit ita: Fundum tibi vendidi qui ab alio bona fide possidebatur, & dum forte possessor peregre abest eum tibi tradidi domini transferendi causa, tu in eum ingressus es eo animo ut capias quod traditur & dominus fias. Queritur, an quia vacua possessio tibi tradita non est, ac ne possessio quidem, nihilominus tibi fundus jure gentium acquiratur. Et putavi aliquando cum DD. Longobardis Placent. Joan. Azon. Accurs. Odofred. Bart. Bald. quos sequitur D. Don. 4. comment. 19. acquiri; neque alienam absentis possessionem obstat domino quominus ille rem suam transferat in eum cui ejus rei corpus prehensum & tenendum dat sine cujusquam impedimento. Ceterum nunc in contrarium moveor, & quidem maxime illa ipsa ratione qua illi ununtur ad probandum necessitatem traditionis. Ajunt enim, ideo ad acquisitionem & translationem domini necessariam esse traditionem, quia ratio juris gentium exigit ut quod factum nostro acquiratur prius potestati nostræ subijciatur. At vero res potestatis nostre subijcta dici non potest cum s plenam possessionem eamque quæ avelli non possit nacti non simus, l. 12. de adq. poss. l. 4. §. 12. de usufr. l. 13. §. 2. de verb. sign. neque potest in nos transferri possessio justa ejus rei quam alius possidet, quam diu possidet & vel animo retinet possessionem, l. 3. §. 5. §. 7. l. 6. §. ult. de adq. poss. Sunt vero & alia

hujus rei argumenta non pauca. Nam cum unam idemque genus sit, & actus idem traditionis quæ transferat dominium & præstat causa usucapionis, arg. l. 11. §. 1. de off. emt. l. 46. §. 1. de evict. §. pen. Inst. infr. per quas pers. non magis convenit re à domino tradita dominium transferri sine translatione possessionis quam re tradita à non domino jus usucapiendi. Adhæc, si dominium nobis adquisiri potest directo sine possessione, poterit & per procuratorem eodem modo. Quid enim interest mihi res tradatur an mea voluntate alteri meo nomine accipienti? Plane nihil, l. 37. ad sen. Trebelli. At certum est per procuratorem dominium nobis non acquiri nisi per consequentiam possessionis per eum nobis adpetæ, l. 20. §. ult. de adq. rer. dom. d. §. pen. infr. per quas pers. l. 1. §. 1. §. 8. C. de adq. poss. Quin etiam ipsa traditio non proprie sed propter possessionem videtur requiri, cum ubi sine traditione possessio obtineri potest traditio non desideretur, l. 9. §. 5. de adq. poss. Hic accedit & Veterum manifesta auctoritas, quibus tradere, cum d. transferendo dominio queritur, nihil aliud est quam potestatem facere rei habendæ & possidendæ; traditio nihil aliud est quam possessionis datio atque translatio, l. 3. §. 1. de off. emt. Hinc illa, re tradita possessionem amitti, l. 50. de rei vind. retenta possessione nihil traditum intelligi, l. 16. de per. & com. rei vend. Hæc denique pertinent textus l. 12. C. de probat. l. 13. C. de distr. pign. & maxime l. 8. C. de off. emt. item l. 47. de rei vind. quo loco dicitur scribit Paulus non aliter dominium rei absentis nobis acquiri quam si possessionem ejus nacti simus ex voluntate domini. At enim, inquit, nihil commune habet possessio cum domino, l. 12. §. 1. de adq. poss. Quid tum postea? nam nec titulus sive causa, nec nuda apprehensio & detentio habet; que tamen illi ipsi in proposito requirunt qui hoc obijciunt. Separata quoque est causa possessionis & usucapionis, l. 2. §. 1. pro emt. nemo tamen inde colligit usucapionem sine possessione procedere. Nihil ad rem facit quod dominum retineri potest sine possessione. Non enim tam facile quid acquiritur quam questum seniel regitur. Possessio non acquiritur nisi animo & corpore, animo retinetur solo, l. 3. §. 1. & §. 12. l. 6. in fin. de adq. poss. Et hæc non aliter nostre sunt quam si eas cepimus manent nostre seniel capte quamvis effugiant quamdiu cum spe recuperandi eas possidimus, §. 12. sup. hoc tit.

Uus

5. Unus locus est quo præcipue moventur qui dominium etiam sine possessione acquiri posse contendunt, l. 16. de fund. dot. Ajunt, in eo respondo mulierem à Tryphonio propti quæ fundum quem Titius possidebat & prope jam usuceperat marito in dotem dedit eo effectu ut fundus dotalis fieret, atque ex eo tempore ad prohibitionem legis Julæ pertinere inciperet, maritoque acquireretur vindicatio: quæ omnia arguant dominium iscius fundi marito questum fuisse, per l. 23. de rei vind. junct. l. 13. §. 2. de fund. dot. cui tamen possessio acquiri non potuit cum alius fundum possideret. Unde porro effici putant fundi iscius dominium simplici traditione ac nudo brutoque corporis contactu in maritum translatum fuisse. Sed eorum quæ colligunt nihil ex isto responso necessario sequitur. Etenim in dotem quoque data dicuntur quæ non propterea tradita sunt sed doti tantum destinata, l. 14. §. 15. de jur. dot. & cur prædium dotale constitui minus recte dicitur quod mulier instrumento dotali profectur se in dotem dare, quam usufructus & jura prædiorum constitui dicantur pactionibus & stipulationibus, §. 1. Inst. infr. de usufr. §. ult. inf. de servit. præd. Sed & jus vindicandi marito competere potest nondum translato rei in dotem date dominio, cession: videlicet actionis, arg. l. ult. C. de ber. vend. quam in specie à Tryphonio proposita intervenisse, sive actionem ipsam in dotem datam omnino credibile est, cum ipsam rem tradere quam alter possidebat & tenebat mulier non potuerit. Lex Julia veteri alienari vel usucapi fundum dotalem. Hæc prohibitio legis Julæ pertinet quidem maxime ad fundum jam traditum & marito adquisitum; quippe qui proprie dotalis est, d. l. 13. §. 2. de fund. dot. & dotalis constituitur non qualiquam traditione sed ea quæ & possessionem transferat, l. 5. in fin. sol. matrim. Ceterum, ut Tryphonius significat, pertinet ea lex etiam ad fundum nondum traditum sed doti tantum destinatum aut instrumento promissum, translata actione ad dominium vindicandum: propterea credo quod qui actionem ad rem vindicandam habet prope abest ab eo qui habet rem ipsam, l. 15. de reg. jur. Juvat hanc interpretationem locus ipse, in quo cum nulla sit mentio traditionis, tum quod maritus dicitur fundum à Titio petere deubis argumento esse Titium ipsum fuisse & mansisse in possessione, nihilque marito ne corporaliter quidem traditum & tenendum datum. Plane sufficit tradentem vere possidere licet

Tom. I.

alius in possessione sit, hoc est, rem detineat nam jus detentionis non impedire quominus simplici traditione possessio & per cum dominium transferatur ostendit, l. 14. §. 10. tit. ff. que in fraud. cred. Nec obstat quod dicitur in l. 2. §. 1. de off. emt. vacuam possessionem emtori traditam non intelligi si creditores bona possideant: hoc enim ad obligationem venditoris pertinet, quæ hoc exigit, non tantum ut res præstetur vacua ab omni vero possessore sed etiam ab alio omni qui jus aliud vel detentionem habeat, cujmodi habent creditores qui morante porro debitor etiam secundum decretum petere & impetrare possunt. Illud meminisse oportet, disputare nos de acquirendo rerum dominio jure gentium. Nam quin jure civili multis ex causis sine possessione acquiratur, veluti aditione hereditatis, agnitione bonorum possessionis, legati, fideicommissi, dubium non est. Utilitatis quoque causa jure singulari in quibusdam causis receptum ut cui possessio non acquiratur aut acquiri non potest, ei simplici apprehensione acquiratur dominium, cujmodi traditio amittente possessionem. Vid. l. 10. §. 4. l. 19. junct. l. 32. §. 54. de adq. rer. dom. junct. l. 44. §. 1. de adq. poss. l. 13. de donat. add. Cont. lib. 1. disp. 8. Hocom. illustr. quest. 11. Bronch. 3. at. 81.

4. Voluntatem domini] Est enim suæ quisque rei moderator & arbiter, l. 21. C. mand. Ceterum ut quis velle rem suam transferre intelligatur duo hæc concurrere debent, ut sciat rem suam esse quam transferre cogitat, ut justam causam habeat cur velit, pura quia vendidit, dicitur promissæ. Illud, quia nemo qui errans in dominio rei suæ, suam esse ignorans, eam pro aliena tradit, hoc animo est ut eam transferat, l. 35. de adq. rer. dom. arg. l. 15. de jurid. Ajo, in dominio rei suæ: nam si qu's non erret in resua, non in ea de qua transferenda agitur sed in re alia, puta in causa debendi: hic error alienationi non obstat; & ideo indebiti per errorem soluti nulla vindicatio est. Hoc, quia nemo rem suam alicui tradit transferendi gratia nisi causam habeat cur id faciat. Hinc illud Pauli: Numquam nuda traditio transferat dominium, sed ita si venditio aut alia justa causa processerit propter quam traditio secuta sit, l. 11. de adq. rer. dom. Nec dicat quisquam id requiri superfluum, cum si nulla causa adit presumi debeat donatio, arg. l. 47. de oper. lib. quoniam hoc tunc solum locum habet cum res consulto data est, l. 53. de reg. jur. Illud non refert

Ff

ferr, revera præcesserit causa an opinione tradentis ut pater in solutione indebiti. Sed questio est, si ego ex una causa tibi tradam tu ex alia accipias, an hæc in causis tradendi & accipiendi dissensio impediat dominii translationem.

5. Et siquidem in tradente nulla sit causa dominii transfere[n]di vel in capiente nulla nascendi; ut si ego deponam apud te pecuniam, tu quasi mutuum aut donatum accipias; aut è converso, si ego tibi dem pecuniam quasi mutuum, tu quasi commodatum accipias ostendendi causa, certum est dominium non transferri, l. 18. §. 1. de reb. cred. Non enim hic concurret affectus ex utraque parte contrahentium quem ad translationem dominii requirimus, l. 55. de obl. & ad. At si utriusque subesse existimerit causa idonea ex qua dominium transferatur, veluti si tibi dem fundum tanquam à me debitum ex testamento, tu quasi ex stipulato debitum accipias; vel si ego tibi tradam pecuniam donandi animo, tu accipias quasi creditam: hic quia ex utraque causa id pariter agitur ut dominium transferatur, puro traditionem effectivam esse; idque & Julianus generaliter probat, l. 36. de adq. rer. dom. Videtur autem à Juliano dissentire Ulpianus in specie posteriore, tu quasi mutuum accipias, d. l. 18. pr. de reb. cred. Primum negat hic esse donationem, sed hoc etiam ex sententia Juliani & deinde ait nec mutuum esse; nec hoc quidem negaverit Julianus, quia mutuo data non est. Sed quod addit postea, magisque nummos accipientis non fieri, in eo dixerit eum dissidere à Juliano qui generaliter definit, dissensum in causis transfere[n]di non obscurè translationi cum in corpus quod traditur consentimus, & hanc regulam etiam eodem exemplo declarat, d. l. 36. quod proponitur ab Ulpiano d. l. 18. de reb. cred. D. Contus 1. disp. 9. & Bachov. in Treutl. disp. de mutuo libes. 4. negant hoc dissidium componi posse. Et sane ferri non potest quod Alciatus §. parerg. 15. Pac. 3. q. 67. Gilb. Reg. 2. enant. ult. putant, diversas esse horum locorum species, pecuniam creditam apud Julianum interpretantes debitam, contra usum verborum & manifestum sensum Jurisconsulti. Si qua est componendi ratio ea est quam affert Connan. 3. comm. 7. & Don. 4. comm. 18. & ad d. l. 18. de reb. cred. nimirum verba hæc Ulpiani, magisque nummos accipientis non fieri duplicem posse pati interpretationem: posse sic accipi ut nummi omnino non fiant

accipientis: posse etiam sic ut non fiant perfectæ, non irrevocabiler, ex comparatione scilicet acquisitionis rei donatæ arg. l. 71. de verb. sign. l. 38. §. 1. de solut. tamen eo effectu ut etiam adhuc extant vindicari nequeant, consumti nec efficaciter condici æque hoc posteriore modo verba Ulpiani accipienda esse propter generalem Juliani definitionem. Et videtur aliquo modo suaderi hæc interpretationem etiam ratio ab Ulpiano subiecta, cum alia opinione accipitur si quippe qui donatum sibi tanquam mutuum accipit non eo animo esse ut dominus non fiat, sed ut non fiat simpliciter & sine obligatione restituendi tantumdem tanquam ex causa donationis. Fuisit hæc exsequor lib. 2. sel. quest. c. 35.

Cujuscumque generis sit] Modo ne talis casus alienationis prohibita, ut fundi dotalis; aut ne causa ex qua traditur iure improbatæ, ut donatio inter virum & uxorem. Ait autem *cujuscumque generis*, ut significet non solas nunc res non mancipi, ut olim, simplici traditione & nudo naturali actu pleno jure transferri; sed etiam res mancipi, cujusmodi erant prædia & prædiorum jura in Italico solo, servi & quadrupedes, quo dorso collovo donantur, & olim non abalienabantur ex jure Quiritium sine actu civili, sine nexu aut cessionis in jure solemnitate, vid. Ulpian. in fragm. tit. 19. Røvard. ad leg. xli. tabb. cap. 16.

Corporales res] Nam res incorporales proprie traditionem non recipiunt, l. 3. §. 2. de act. em. l. 43. §. 1. de adq. rer. dom. uti nec possessionem, l. 4. §. 27. de usurp. & usuc. sed est in his quod vice traditionis fungatur, patientia domini, & vice apprehensionis possessionisque sit usus illius cui dominus hujusmodi jus questum vult, l. ult. de sero. l. 3. in pr. de usufr. d. l. 3. §. 2. de act. em. l. 2. §. ult. de prec.

A domino] Qui scilicet liberam rem suarum administrationem habeat. Nihil autem interest utrum ipse dominus rem suam alicui transferendi causa tradat, an voluntate ejus alius, procurator puta aut creditor, §. 43. inf. hoc tit. §. 1. inf. quib. al. lic. aut etiam alii qui jure pro dominis habentur, ut tutores & curatores, l. 109. de verb. sign. l. 16. & 22. C. de adm. tut.

6. Tradita alienatur] Non minus videlicet pleno jure quam si mancipata aut jure cessa esset, sublato antiquo discrimine domini, l. un. C. de nud. jur. Quir. toll. Etenim duo antiquitus fuere dominorum generum, naturale unum quod in bonis; alterum civile sive legiti-

tim quod ex jure Quiritium appellabatur, & vel nudum erat vel plenum. Si, verbi causa, civis Romanus à cive Romano servum emisset itaque ei traditus esset, neque tamen mancipatus aut cessus in jure annove ab eo possessus; si servus in bonis quidem emtoreis erat, ex jure vero Quiritium non erat, sed eo jure manebat venditoris quamdiu mancipatus in jure cessus aut usucaptus non esset. Jus hoc Quiritium sibi asserbat qui vindicabat hæc vulgata formula: *Hæc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*, l. 1. de rei vind. Hinc & illa judicis dati formula apud Cic. 4. in Ver. cap. 11. Si paret fundum C. postem quo de agitur ex jure Quiritium P. Servilium esse. Videtur Theoph. tit. de libert. Ulp. in fragm. d. tit. 19. Brisson. 4. antiq. 22. Røvard. d. cap. 6. Erat autem ejus qui in bonis habebat causa potior quam domini ex jure Quiritium: nam si servus alterius in bonis, alterius ex jure Quiritium esset, ex omnibus causis adquirerebatur ei cujus in bonis erat, Ulp. d. tit. 19. §. penult. Quia de causa Justinianus n. dum hoc & inane Quiritium jus sustulit, d. l. un. C. de nud. jur. Quir. toll.

Tributaria prædia eodem modo alienantur] Dixit, res omnes cujuscumque generis sint traditione alienari, hoc est, ut omnes exponunt, non minus res mancipi quam nec mancipi. Hinc inferet etiam eodem modo alienari prædia provincialia. Atqui hæc prædia fuere res mancipi; res autem nec mancipi etiam veteri jure nuda traditione abalienabantur, Ulp. d. tit. 19. §. 6. Ude videtur ex contrario sic inferendum fuisse: *Inque Italica quoque prædia eodem modo alienantur*. Verum alio respicere Imperatorem ex sequentibus apparet, ad executionem videlicet juris prædiorum provincialium & Italicozum, cujus ipse primus auditor est, l. un. C. de usuc.

7. Olim agri & prædia in provinciis non erant pleno jure possessorum sed usu & fructu dumtaxat; summo autem jure propria erant populi Romani: quippe quæ prædia cum piumum jure belli una cum possessoribus in jus & ditionem populi victoris venissent, hoc est publica facta essent populi Romani: sæpe provincialibus seu veteribus dominiis denuo utenda & f uenda concedebantur, imposito annuo vect galii aut tributo in argumentum retentæ proprietatis aut summi juris. Ude est quod prædia ista à possessoribus mancipio dari non poterant nec ab alio usucapi, sed longi dumtaxat temporis possessione illud quod dixi jus in iis adquiri: de quo

uberius tit. 6. hujus lib. Poterat & nuda traditione jus idem in quovis alios transferri, salva scilicet semper manente proprietate populo aut Principi. Igitur quod de hisce prædiis ait eodem modo illa alienari, sic accipiendum est, alienari plene & perfecte, simpliciter traditione transferri in accipientem verum & justum dominium, idem nimirum quod nunc quisque dominus in re sua quilibet habet sublata rerum & dominiorum distinctione, d. l. un. C. de nud. jur. Quir. toll. d. l. un. C. de usuc. transf. Atque hinc patet constitutione Antonini, qui provincialibus omnibus jus civitatis dedit, l. 17. de stat. hom. effectum non esse ut solum provinciale ejusdem juris esset cum solo Italico. Primum enim Justinianus differentiam sustulit, voluit eod. jure prædia omnia censei, d. l. un. C. de usuc. transf. & hoc text. Obiter addo jus illud vetus provincialium possessorum non fuisse jus personale quale est usufructus, sed reale & proximum dominio, cujusmodi est emphyteuticum & quod vulgo appellatur dominium utile. Nam & possessiones suas heredibus relinquere & cuius extraneo in jure cedere, Ulp. in fragm. d. tit. 19. §. 8. Theoph. hic, & servitutum his imponere poterant, l. 3. C. de sero.

8. Sunt autem stipendiaria & tributaria prædia que in provinciis] Nemo hinc colligat prædia omnia que in provinciis erant vectigalia fuisse. Certum enim esse multas civitates beneficio populi aut Principum jus habuisse Latii sive Italici, & sine eo jure colonias nonnullas provinciales & civitates immunes fuisse, ll. 1. 7. & 8. de censib. Cic. 3. in Ver. Plin. lib. 3. nat. hist. cap. 3. & 11. Sed hic sensus est prædia que in provinciis sunt, que stipendium aut tributum pendunt stipendiaria dici & tributaria, uti possessores eorum dicuntur stipendiarii & tributarii. Tributum, si Theophilus credimus, inferrebat Principi, stipendium populo. Hoc provincie Cæsaris tributaria, populi stipendiaria. De quo tamem dubito, magisque puto verba ista dici *stipendiaria (provincie)*. Nam constat Principis sensum sibi provincias omnes sepossuisse, neque diu ratam mansisse partitionem illam provinciarum quam cum populo Augustum fecisse refert Suet. cap. 7. Certe tempore Justiniani ut fisci & ærarii, ita & stipendiis & tributis nulla fuere differentia. In libris π. aliquando separantur, ut in l. 7. §. 2. de usufr. l. 13. de imp. in res dot. l. 46. §. 4. de jur. fic. S. d. tamen synonyma esse ex auctoritate Pomponii re-

fert Ulpian. l. 27. §. 1. de verb. sign. Stipendium, inquit, à stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica ara colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait. Et tamen, inquit, appellatur à contributione tributum, vel ex eo quod militibus tribuatur. Ita & Festus in voce Tributum. Varro autem lib. 4. de ling. sic dictum scribit, quod tributum à singulis pro portione census exigebatur. Neque solum initio, ut ex Cic. Cæs. Liv. Plin. Gellio discimus, stipendium & tributum promiscue appellata est ea pecunia quæ populo imperabatur & colligebatur in publicum ut ex ea miles sustentaretur; sed etiam apud posteriores Sueton. Eutrop. Sextum Ruffum promiscuum eorumdem verborum usum reperias, ut observavit D. Cujac. 7. obs. 3. In eo sane aliqua differentia est quod plerumque stipendium non tributum appellamus, æs quod ex tributo militibus solvitur: unde stipendia facere &c. Perillus Cerealis apud Tacit. lib. 4. hist. cap. 74. Neque quiet, inquit, gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Verum hoc ad præsentem dispositionem non pertinet.

9. Illud verum esse ostendit antiquitas, quod D. Hotomannus hic notat, provincialium alios vectigales fuisse, alios stipendiarios sive tributarios. Vectigales qui incertum vectigal solvebant, ut decimam partem frugum: unde decumani dicti, & eorum ager decumanus; de quibus multa Cicero 3. in Verr. Stipendiarios qui certum vectigal in pecunia vel etiam in frumento pendebant. Quod tributum seu stipendium, & teste Cicerone 5. in Verr. stipendiarius dicebatur. Quanquam vectigalis appellatio latus parvit, casque etiam pecunias comprehendit que vel portorii vel scripturæ vel salis aut vicesimas nomine exigebantur, de quo in præsentia non queritur, l. ult. §. 8. de publican. Consule Sigon. 1. de jur. civ. Rom. 16. Fie. g. in lib. 3. Cic. in Verr. Gerd. ad l. 17. §. 1. & l. 27. de verb. sign. VINN. Accuratus hæc omnia exponit vir cl. Petr. Burmannus de vectigalibus populi Rom. qui hic omnino conferendus. HEIN.

TEXTUS.

41. Vendite vero rei & tradite non aliter emtori adquiruntur quam si in venditori pretium solverit vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato: quod namquam cavetur lege duodecim tabularum, tamen recte dicitur & jure gentium, id est jure naturali id effici. Sed si is qui vendidit fidem emtoris se-

cutus fuerit, dicendum est statim rem emtoris fieri.

L. 46. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Cur ex ceteris causis dominium traditione statim transeat, ex causa emtionis non aliter quam si pretium solutum sit &c.
2. Satisfacere & solvere, item fidejuberere & expromittere quomodo differant.
3. An præsumatur venditor fidem emtoris secutus ex eo quod simpliciter rem tradiderit.

1. **Q**uod hic traditur proprium est emtionis. Ex alia causa si quis rem suam sciens tradiderit statim eam translationem domini requirimus; in emtione vero & tertium exigitur, ut pretium solutum sit aut necessitas ejus solvendi in præsentia remissa. Cur vero tam varie? Nimirum quia in ceteris qui rem suam scientes ex juxta causa tradunt, veluti ex causa donationis, dotis, legati &c. voluntas transferendi manifesta est; in venditore non est si nihil amplius de voluntate ejus constet: quippe qui ex communi hominum sensu hæc lege & conditione potius rem quam vendidit & tradidit transferre voluisse censi debet, si pecunia sibi soluta sit (hanc enim spectat & protinus sibi numerari velle videtur qui rem vendit), quam animum habuisse rem suam pure & simpliciter in emtorem transferendi. Constat autem, ejus quod sub conditione datur aut traditur dominium in accipientem non statim transire, l. 8. de reb. cred.

2. *Vel alio modo ei satisfecerit*] Traditur hoc idem l. 19. de contr. emt. l. 5. §. pen. de trib. ad l. fac. l. 53. de contr. emt. Satisfaciendi verbum generalius est quam solvendi. Qui solvit utique & satisfacit; at non omnis satisfactio solutio est. Satisfacit & qui non liberatur, veluti si quis fidejussorem vel pignora det; solutione vero obligatio tollitur. Atque si satisfecerit: nimirum venditori volenti & fidejussorem vel pignus loco solutionis accipienti; neque enim cogitur creditor admittere satisfactionem vice solutionis, l. 6. §. 1. quib. mod. pign. l. 10. de pign. act. non magis quam solutionem alterius rei quam quæ debetur, l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 16. §. seq. C. de solut.

Expromissore] Hoc nomine etiam fidejussor

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c. 229

por hic intelligi videtur, ut in l. 4. §. 3. de re jud. Ceterum enim est tam fidejussore quam expromissore dato rem emtoris fieri, d. l. 53. de contr. emt. Enimvero cum proprie loquuntur Jurisconsulti, fidejussorem quem alio nomine adpromissorem vocant, l. 64. §. 4. sol. matr. l. 43. de solut. separant ab expromissore, ut in d. l. 53. de contr. emt. l. 57. §. ult. de oper. liberr. Expromissor si proprie dicitur qui alienam obligationem novandi animo in se suscipit, l. ult. de sen. Masc. d. l. 57. §. 4. de oper. lib. & simpliciter reus appellatur, l. 7. §. 8. de dol. mal. l. 64. §. 4. sol. matr. nempe quia expromissor debitorem liberat & vice ejus se solum debitorem constituit. Fidejussione autem nulla fit novatio aut primi debitoris liberatio; sed fidejussoris obligatio, ut pignus, accessio est principalis obligationis, §. 5. Inst. inf. de fidejuss. l. 43. de solut.

Quamquam cavetur lege duodecim tabb.] Pleuraque quæ lege XII. tabb. cauta sunt rationem civilem habent, formalisque & solemnitas spectant, ut liquet ex fragmentis quæ à viris doctis collecta in manibus studiosorum versantur; non tamen omnia. Nam quod placet rem venditam non aliter emtoris fieri quam si pretium venditori solutum sit aut satis eo nomine factum, id jure & ratione naturali, ea quam dixi, efficitur; & tamen id ipsum quoque lege XII. tabb. cautum. Non recte igitur sic collegitur: id cautum est lege civili, ergo est juris mere positivi; aut, ergo id non efficitur jure gentium sive naturali. VINN. Inde vero est quod in traditionibus quæ nexu & mancipio fiebant adhibenda esset anea libra, & emtor eam ære percuteret, indeque æs daret ei à quo mancipio acciperet. Vide Gaj. fragmentum apud Boethium in comment ad Cic. Top. lib. 3. Non enim translatum credebatur dominium nisi satisfactum esset mancipanti. HEIN.

3. *Fidem emtoris secutus fuerit*] Id est fidem emtori de pretio habuerit sine ulla satisfactione, d. l. 19. de contr. emt. ἐκαστὸν ἐκαστὸς ἐπίστωρε καὶ τῷ πληρῆ μολυγία ἀντὶ (quum sponte credidit alterius promissioni etiam nude), quod ex circumstantiis æstimandum, veluti si dies solutionis dicta sit, l. 3. C. de pact. int. emt. & vend. aut si cum emtor pecuniam ad manum non haberet venditor dixerit, I, licet nunc non requiro: postea dabis. Plane si nulla mentio facta sit de pretio postea solvendo, ex eo solo quod venditor rem tradidit censi non debet fidem emtori habuisse, ut hic locus & d. l. 19. apertissime ostendunt. Adeoque

regula illa quam hic ex communi opinione Schneid. tradidit: In dubio qui rem venditam simpliciter emtori tradit sequi videtur fidem emtoris nisi contrarium appareat, convertenda est & sic concipienda: In dubio qui rem emtori tradit non videtur sequi fidem emtoris nisi emtor contrarium doceat. Atque ita communiter DD. suo tempore tenuisse refert Jo. Fab. & probant Wescumb. & Bachov.

TEXTUS.

42. Nihil autem interest utrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate ejus alicui ejus rei possessio permittatur. Quæ ratione si cui libera universorum negotiorum administratio permittatur a domino, isque ex iis negotiis rem vendiderit & tradiderit, faciet eam accipientis.

L. 46. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. *Distinctio quæ viugo fit inter procuratorem cui simpliciter rerum omnium administratio commissa sit & procuratorem cum libera, ut loquuntur, late improbat.*

Cum ad dominium traditione transferendum necesse sit, ut dictum est, ut res tradatur à domino, hoc nunc ex Gajo l. 9. §. 3. de adq. rer. dom. declarat Imp. atque sic esse accipiendum ait, ut nihil intersit utrum dominus ipse per se rem alicui tradat, an alius voluntate ejus; quippe quod quis per alium facit dum ei mandat aut jubet ut faciat, id cum ipsum facere videtur, l. 5. §. 3. de adm. tut. l. 1. §. 12. de vi & de vi arm.

Cui ejus rei possessio permittatur] Horum, restituit, cui ejus rei potestas permittatur est; quod quidem sensum habet commodiorem, sed tota hæc adjectio abesse à Gajo & paraphraste Græco. Unde suspicor glossæ esse quod in textum reptavit; ob eamque causam etiam à Cujacio hic omissum.

Si cui libera universorum negotiorum] Si nominatim alicui mandatum sit ut rem tradat, nemo ambigit quin si mandato perseverante id faciat dominium ejus rei transferatur in accipientem, l. 11. §. ult. de pign. act. l. 37. in fin. pr. ad sen. Treb. l. 33. de adq. poss. nec ulla hic exceptio est, quoniam in speciali mandato non potest dubitari de voluntate domini.

1. An autem & mandati generalis hæc vis sit, ut procurator cui universorum bonorum administratio permisa est possit rem ad administrationem suam pertinente siue exceptionem alienare aut in alium transferre, quæri solet. Doctores comm. duo genera ejusmodi procuratorum faciunt, unum eorum quibus simpliciter rerum omnium administratio commissa est; alterum, quibus commissa est libera, nominatim scilicet hoc adjecto: & procuratorum cum libera (sic loquuntur) etiam jus rem alienandi habere continentur, modo ne id fiat animo donandi; eum autem cui simpliciter administratio mandata est nihil alienare posse præter factus aut res alias quæ facile corrumpi possunt. Verum hæc distinctio non adhibetur & Veteribus incognita à Duar. ad leg. 1. §. 20. de adq. poss. Don. 4. comm. 15. Vaud. l. quest. 47. & aliis nonnullis doctis viris rejicitur. Et vero si ex mandato assignandum quid cuique liceat in re aliena, dicendum omnino videretur parum esse debere horum procuratorum potestatem; nec quod alteri non licet id alteri in re dominica licere. Quid enim interest simpliciter alicui bonorum universorum administratio mandata sit, an mandata adjecto verbo *libera*? Non magis hæc differunt quam heres simpliciter institutus, & institutus ex asse. Administratio quantumvis simpliciter tradita, nihilominus libera tradita intelligitur; quippe quam libere exercere liceat in rebus omnibus, nec minus libere quam si specialiter de singulis mandatum esset, excepto si quid generali cujusmodi mandatum non continetur, qualia sunt donatio, l. 7. de donat. manumissio, l. 13. de manumiss. rei donatice pro alio obligatio, l. 2. §. 1. quæ rei pign. dat. liberatio pignoris aut hypothecæ, l. 7. §. 1. quib. mod. pign. totu. item quævis alia juris domini c. remissio, l. 61. ff. de procur. l. 12. C. de transact. alienatio quævis rerum domini quam non exigit ratio administrationis, l. 63. de procur. junct. l. 12. §. 17. ff. de cur. sur. l. 6. C. de procur. l. 2. §. 1. de off. proc. Cæ. Hinc cui simpliciter rerum gerendarum provincia demandata est rem domini in judicium deducit, l. 12. de pact. quod illis tantum licet qui domini loco habentur, l. 22. §. 27. de adm. tut. potest exigere & accipere, l. 15. de pact. l. 34. §. 3. de solut. creditoribus solvere, l. 87. eod. novare, l. 20. §. 1. de novat. potest transgere, pacisci, jurjurandum deferre, d. l. 12. C. de transact. d. l. 12. ff. de pact. l. 17. §. 1. de jurejur. modo ea faciat in re dubia &

probationibus deficientibus, arg. l. 35. de jurejur. Potest rem domini pignori dare si mandatum accepit ab eo qui sub pignoriibus solebat mutuas pecunias accipere, l. 12. de pign. act. potest vendere ea quæ servando servari non possunt, l. 63. de procur. & quatenus negotiorum exigit administratio etiam aliqua quædam ob magam utilitatem alienare, arg. l. 12. §. 17. de cur. sur. Non debet plus licere ei cui libera administratio permisa est, ut enim maxime libera sit, administratio tamen est, nihil amplius. Quod igitur de hujusmodi procuratore traditur, posse eum aliud pro alio permutare, l. 58. de proc. hoc & in superiore verum est; in utroque autem sic accipiendum, si conditio & ratio administrationis id flagitet; eodemque modo etiam accipi debet quod hoc loco & apud Gajum, d. l. 9. §. 4. de adq. rer. dom. relatum est, procuratorem cum libera rem ex negotiis tibi commissis vendendo & tradendo facere accipientis. Plane potest mandatum ita concipi ut post generalem clausulam quædam etiam specialiter exprimitur, quæ aliqui aut non concessa, aut non tam plene concessa intelliguntur, ut in specie l. 60. §. 4. mand. Argumentum quod ab administratione peculii summum ad distinctionem suam probandum DD. afferunt, nullum est; & distinctio administrationis peculii in simplicem & liberam ex l. 10. C. quod cum eo qui in alien. potest. ipsa quoque suspecta. Confer l. 18. §. ult. de pign. act. l. 41. §. ult. de rei vind. l. pen. §. 3. de div. & temp. prec. l. 13. in fine de cond. ind. l. 48. pr. §. 1. de pecul. l. ult. de novat. l. 28. §. 2. de pact. l. 8. §. 5. quib. mod. pign. Actus quoque etiam Vaudus animadvertit d. loc. qui etiam contendit plus licere filiofam. aut servo liberam peculii administrationem habentibus in administratione rei peculiaris, quam procuratori universorum bonorum in rebus mandatis propterea quod peculium est quasi proprium patrimonium servi filiofam. à substantia & rationibus domini patrisve separatum quæ abstractum, l. 5. §. 39. de pecul. quod longe candemque servi & domini, unam patris & filii personam videri, l. 10. ff. de opt. leg. lult. in fine. C. de impub. subst. §. 4. §. 12. Init. inf. de inat. stip. Utcumque sit, certe alienationem ut donent aut jus aliquando gratuito remittant vi generalis mandati non habent, l. 3. §. 8. de don. int. vir. §. uxor. l. 1. §. 1. quæ rei pign. dat. l. 7. de donat. l. 3. §. 2. vers. si filiofam. de ren. Mat. l. 28. §. 2. de pact.

De quasi traditione. Si traditio ex alia causa præcesserit.

43. Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam, veluti si rem quam tibi aliquis commodaverit aut locaverit tibi aut apud te deposuerit, postea aut vendiderit tibi aut donaverit aut dotis nomine dederit. Quamvis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo tamen ipso quod patitur tuam esse, statim tibi adquiritur proprietates perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset.

L. 47. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Dicitur esse in explicatione §. 40. sup. hoc rit. dominia rerum transferri non nudis pactis sed traditione. Nihil autem interesse, vere traditio fiat & naturaliter an ficta & per representationem. Fictæ traditionis usus in rebus incorporalibus necessarius est, utpote quæ naturâ traditionem non recipiunt, l. 43. §. 1. de adq. rer. dom. pro traditione autem in his est utendi concessio, l. ult. de serv. l. 3. de usus. In aliis rebus propter commoditatem recepta, quod expeditior esset ratio commerciorum; & in his rebus fingitur traditio intervenire si ea vel notâ sive symbolo aut alia re quâpiam representetur, vel res geratur brevi manu. De ea quæ symbolo fit dicitur §. proximo. Fictio brevis manus traditio fit, cum vel rem meam quæ apud te sit ex alia causa tibi vendo aut dono; ad quam speciem pertinent exempla hoc §. proposita ex Gajo l. 9. §. 5. de adq. rer. dom. vel cum eum qui mihi dare volebat aut debebat jussero tibi dare, l. 3. §. 5. de procur. §. ult. de don. int. vir. §. ux.

Nuda voluntas? Non quæ plane & per se nuda sit aut præter consensum nihil habeat, quemadmodum cum dicitur ex pacto nudo actionem non nasci, nudum intelligimus quod simpliciter nudum est, hoc est tale quod præter conventionem nihil cause habeat ad obligandum eum qui pactus est, l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 10. C. eod. Nam cum ne actio quidem ex hoc genere pacti comparat ad dominium adspiciendum, plusquam manifestum est dominium ex eo transferri non posse. Non etiam, quæ nuda sit ad omni traditione, quomodo nuda pacta accipiuntur cum traditionibus in ge-

nere opponuntur, l. 20. C. de pact. & pignus nuda conventionem contrahi dicitur quæ convenit ut res pignori sit sine ulla traditione, l. 1. de pign. act. sed nuda ex comparatione ejus rei cui hoc loco opponitur, id est nuda à vera & naturali traditione quæ causam transferendi sequatur. Nam si nuda sit ad omni non tantum reali sed etiam ficta & symbolica traditione, sola voluntas dominium transferre non potest. Eodem sensu quorundam rerum possessio animo apprehendi dicitur, l. 51. de adq. poss. nimirum oppositive ad actuale & naturale apprehensionem.

Commodaverit locaverit aut apud te deposuerit? Vel etiam pignori tibi dederit, l. 9. §. 1. de Pub. in rem. act. Nec videberis causam possessionis tibi mutare, qui ne possidebas quidem, l. 3. §. 20. de adq. poss. Sed & si rem meam possideas & eam tibi vendam aut tibi habere jubeam, fiet tua quamvis possessio apud me non fuerit, l. 21. §. 1. de adq. rer. dom. l. 10. de donat. l. 62. de evict. Ad hoc genus fictæ traditionis etiam pertinent species legi 3. §. pen. §. ult. de don. int. vir. §. ux. si id quod alius mihi dare volebat jussim Titio dari quamvis fictio nonnihil dissimilis & inter tres personas.

Perinde ac si eo nomine tibi tradita esset? Apparet hic actum aliquem adscisci sive fingi qui pro traditione sit; cum causam transferendi nulla sequatur traditio secundum ordinem naturæ; & ideo in proposito dicitur res pro tradita haberi, d. l. 62. de evict. & hoc §. dominium transferri nuda voluntate. Fictio sive cogitatio talis est: deponit res tibi commodata aut apud te creditur domino qui eam postea tibi vendidit aut donavit restituta, atque ab eo mox ex ea causa tibi tradita. Quod à Consulibus ideo excogitatum est, quia hoc modo celerius & sine inuitu circuitu ad finem propositum perventur, d. l. 3. §. pen. de don. int. vir. §. ux. Urde in simili, si debitorum meum jussim tibi dare, & fugitur brevi manu acceptum à me & tibi datum si in actio hæc occultetur, d. l. 3. §. pen. §. ult. l. 43. §. 1. de jur. dot. Eadem fictio intervenit & in iis quæ singulariter circa pecuniam creditam recepta esse scribit Ulp. l. 15. de reb. cred. sive res geratur inter tres personas, veluti si Titium pecuniam quam mihi debebat jussim Sejo mutuo dare; sive inter duas, putasi convenierit ut pecuniâ quam tu mihi ex mandati causa debes crediti nomine retineas. In utraque enim hæc specie fingitur mihi data pecunia, & à me ad te aut ad Sejum profecta.

Quamquam Africanus stricti juris retinitor fictionem istam non videtur admittere in specie posteriore. Vid. l. 34. *mand.* et usque interpretat Cujac. 8. *ad African.* Sunt tamen qui putant absentiam debitoris impedire fictionem brevis manus, quasi factum fingi non possit jure nisi & per rerum naturam fieri poterit, per l. 43. §. 2. *de furt.* & ideo Ulp. sententiam admittendam censet, si debitor præsens sit & paratus pecuniam numerare; Africanus, in debitor absentem aut qui pecuniam ad manum non habeat: quippe diserte. Africanum loqui de eo qui epistolam misit ad creditorem, ac proinde de eo qui absit. D. Don. in d. l. 15. *de reb. cred. n. 22.* et *seqq.* VINN. Ut sit, hoc jure unimur ut absentia hujusmodi fictiones non impediatur, l. 47. tit. 28. *Part. 3.* ubi: *maguer entence non estuoiens la cosa delante.* ADDIT.

TEXTUS.

De traditione clavium.

44. Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque clavus horrei tradiderit entoris transfert proprietatem mercium ad entorem.

L. 7. tit. 30. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Hoc §. agitur de eo genere fidei traditionis que nota aliqua aut symbolo veram repræsentat; cuius una species proponitur, si mercibus certo loco conclusis quas dominus tibi tradidas velit, claves ejus loci tibi tradantur, ex *diff. l. 9. §. 6. de adq. rer. dom.* Sun autem hujus generis & alie species, veluti traditio instrumenti, quo traditio res ipsa de qua alienanda in eo agitur tradita & translata intelligitur, l. 1. C. *de don.* Trabiium & tignorum obsignatio pro eorum traditione valet, l. 14. §. 1. *de peric. & com. rei vend.* Item custodis appositio si res non facile loco moveri possint propter magnitudinem ponderis, l. 51. *de adquir. poss.* Potest & sine nota actus aliquis traditionem repræsentare: nam si in præsentem & aperta dominus eam se tibi tradere dicat, ego sim hoc animo ut velim possidere, hic placuit me possessionem nancisci oculis & affectu, perindeque hoc haberi ac si pedem finibus intulissem, corpore ac manu rem apprehendissem, l. 1. §. pen. l. 18. §. 2. *de adq. poss.* VINN. De hisce fidei traditionis modis vid. *ll. 7. 8. & 9. tit. 30. Part. 3.* ADDIT.

Simul atque claves horrei tradiderit Clavibus horrei aut cellæ traditis, etsi merces incluse (frumentum, vinum) oculis & sensibus non subjiciantur, earum tamen rerum possessio & dominium nobis adquiritur, haud secus ac si res ipse condita nobis tradita essent, *diff. l. 9. §. 6. de adq. rer. dom. d. l. 1. §. penult. l. 74. de contr. emt.* Ceterum hoc ita si claves tradite sint apud ipsum locum in quo res condite sunt, *diff. l. 74.* Nam & symbolica traditio talis esse debet ut per eam res potestati nostræ statim subjiciatur, quod non fiti alibi claves tradantur; & ideo recte hoc expressit Theoph. *ὡς παρὰ τὸν τόπον ὅπου (si apud horrea),*

TEXTUS.

De missilibus.

45. Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata voluntas domini transferi rei proprietatem; ut ecce, prætores & consules cum missilia jactant in vulgus ignorant quid eorum quisque sit excepturus; & tamen quia voluit quod quisque acceperit ejus esse, statim eum dominum efficiunt.

L. 48. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

ET si regulariter in translatione domini non minus persona accipientis quam tradentis certa esse debet ut affectus ab utraque parte contrahentium concurrat, l. 55. *de obi. & act.* eventum tamen interdum ut dominium per traditionem transeat in personam accipientis incertam, veluti cum missilia jactantur aut sparguntur in vulgus, quod exemplum hoc loco proponitur, & l. 9. §. pen. *de adq. rer. dom.* Etenim qui pecunias suas ita spargit aut projicit, in nullius certe persone destinationem fertur, & plane ignorat quis quid earum rerum sic accepturus. Utiq; tamen quia palam est velle eum quod quisque ex sparso apprehenderit id sibi habere, æquissimum est & naturali rationi consentaneum ratam haberi domini voluptatem, arg. S. 40. *supr. hoc tit.* Poterat videri quod ita sparsum est pro de relicto habitum, & ideo apprehendendi cedere jure occupationis rerum nullius; sed magis est ut ex voluntate domini traditum sibi accepisse dicamus; cum in eum finem pecunia sparsa sit ut statim apprehenderetur & quantum apprehensum esset fieret ap-

DE RERUM DIVISIONE, ET ACQUIR. IPSARUM & C.

prehendens; quo animo non est is qui rem pro derelicto habet. VINN. Inmo certissimum est missilia nostra fieri nos per traditionem sed per occupationem; quia qui illa spargit eorum dominio vero sese abdicat antequam quis ea apprehenderit. Quorum domino nos abdicavimus ea sunt derelicta. Res pro derelictis habitæ cedunt occupanti. Nec ratio Vinuii aliud suadet. Omnes enim res pro derelictis habitæ eo sine abijciuntur ut apprehendantur, & quantum quisque apprehenderit fiat apprehendens. Quo animo esse derelinquentem, cur neget auctor noster equidem non video. HEIN.

Prætores & Consules] Desunt hæc apud Cujacum; & vix est ut reperias magistratus populi Romani consules aut prætores missilia sparsisse. Principes id fecisse legimus apud Sueton. in *August. cap. 98.* in *Caligul. cap. 18.* in *Neron. cap. 11.* Ut consules sparserint è Græcorum consuetudine fluxisse videtur, quam Marcianus non sine causa sustulit, l. 2. C. *de consul. & non sparg. pec.* revocavit ad certum modum Justinianus *Nov. 107. cap. 2. §. 1.* qua constitutio permittitur volentibus consulibus missilia spargere & muneribus honorare populum, dum ne id sæpius faciant quam septies in anno, & in septem processionibus; nec auriam populo spargant, quod solè datur Imperio. Hæc constitutio iterum abrogatur à Leone, usque missilium consulibus in totum interdicitur *Nov. Leon. 94.*

TEXTUS.

De habitis pro derelicto.

46. Qua ratione veritas esse videtur si rem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur quod dominus ea mente abjecerit ut id in numero rerum suarum esse nolite; ideoque statim dominus ejus esse desinit.

L. 50. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Que requirantur ut res pro derelicto habitæ censeatur.
2. Pro derelicto habitæ statim nostra esse desinere; aliter autem non fieri nisi possessio eorum apprehensa fuerit.

RES pro derelicto habitæ statim nostra esse desinit & nullius fit, ideoque secundum

ius de rebus nullius occupanti conceditur. Pertinet igitur hic modus adquirendi ad inventionem ut supra quoque monuimus §. 18. *hoc tit.* Ad traditionem referri non potest ut species superior; quia qui rem pro derelicto habet, quamvis intelligat voluisse eam ejus fieri qui primus eam sustulerit aut occupaverit, l. 5. §. 1. *pro derel.* non tamen ea mente eam abijcit aut deserit, non laborat ut alius eam accipiat, quod facit is qui pecuniam spargit. Sparsio species donationis est & liberalitas, qua qui spargit populum demereri studet; abjectione autem aut desertione hoc saltem agitur ut ne res amplius in bonis sit.

1. Quod dominus ea mente abjecerit] Duo exigit hæc definitio ut res pro derelicto habitæ censeatur: primum ut quis rem suam amplius suam esse nolite; tum ut quam non vult amplius suam esse eam abijcit aut deserat. Alterum si desit dominium non amittitur. Fac ergo rem à domino abijci aut deseri non ea tamen mente ut eam à se amoveat ut amplius suam esse nolite: nihil hic amittitur, §. 1. *seq.* Fac e converso nolle amplius suam esse, nisi eam abijciat, aut si immobilis est ab eadem hoc animo ut eam amplius habere nolite: dominus esse non desinit, in quo dominium differt à possessione qua solo animo amittitur, l. 17. §. 1. *de adq. poss.*

2. Ideoque statim dominus esse desinit] Res pro derelicto habitæ statim ut abjecta aut deserta est nostra esse desinit; quia isdem modis res desinunt esse nostræ quibus nostræ sunt, l. 1. *pro derel.* Unde recte à Juliano notatur Proculus qui putabat dominum rei pro derelicto habitæ tunc demum à nobis abire cum ab alio occupata esset, l. 2. §. 1. *de tit.* Sic enim fieret ut si quis eam rem furandi animo abtulisset furtum commisisset intelligeret, quod est absurdum, l. 43. §. 5. *de furt.* Quod si dominus non sit à quo res derelicta esse non fit statim occupantis, sed poterit qui occupavit eam usucapere, l. 4. *pro derel.* Illud constat, pro derelicto habitæ, ut cetera que nullius sunt, non adquiri ei qui primus ea videre coepit & notare oculis, sed qui primus possessionem eorum nactus sit. Sic à canchos insula deserta adjudicata fuit Chalcidensibus qui priores intraverant, non Andriis qui priores jaculum immiserant, Plutarch. *quest. Græc. 29.* quoniam possessionis initium est corporis ad corpus adjunctio: qualis circa res mobiles maxime fit manibus, circa res soli pedibus, D. *Grot. mar. lib. cap. 2.* VINN. De rebus pro derelicto habitis vid. *ll. Tom. I. Gg 6.*

TEXTUS.

De iactis in mare levandæ navis causa. De his que de rheda currente cadunt.

47. Alia sane causa est earum rerum que in tempestate levandæ navis causa ejectionum. Hec enim dominorum permanent, quia palam est eas non eo animo ejiçi quod quis eas habere nolit, sed quod magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Quæ de causa si quis eas fluctibus expulsa: vel etiam in ipso mari nactus lucrandi animo abiterit furtum committit. Nec longe videtur dicere ab his que de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

L. 7. tit. 9. Part. 5.

COMMENTARIUS.

- 1. Quæ levandæ navis gratia ejectionum non eo animo abijci videntur quod quis eas habere nolit.
- 2. Eum qui alienum quid in via jacens lucri faciendæ causa tollit furti obstringi, licet ignoret cuius sit.
- 3. Quid si nemo rem incensam post proclamationem repetat.
- 4. An præmium iudicii honeste peti possit.

EX iis que præcedenti §. dicta sunt intelligi potuit pro derelicto habendum non esse quod dominus non ideo abijcit quia amplius suum esse non vult, sed alia mente & ac proinde id ejus qui abijcit manere, nec fieri apprehenditis. Id hoc §. declaratur exemplo rerum in tempestate levandæ navis causa ejectionum.

1. Non eo animo ejiçi quod quis eas habere nolit. Qui oborta tempestate levandæ navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent ut eas pro derelicto habeant: quinque si inveniatur ab altero, & si suspicatus fuerint in quem locum ejectionis sint requisitos sed ut levata nave maris periculum effugiant. Perinde igitur hoc est ac si quis onere pressus in viam rem abijcerit mox cum aliis reversurus ut eam auferat, l. 8. ad leg. Rhod. quam ob causam res ita iactas dominorum permanere recte hic concludit Justinianus cum Gajo in l. 9. §. ult. de adq. rer. dom. & Paulo l. 2. in fin. ad leg. Rhod. fac. l. 7. pro derel. l. 21. §. 1. de adq. post. l. 58. de adq. rer. dom. Cum his

tamen Ulpianum committit Hotomannus existimans eum à ceteris omnibus dissensisse, ac putasse iactum fieri animo derelinquendi, aut saltem credendum esse plerumque eo animo fieri, & quasi perituro sit quod iactatur: sic enim scribit in l. 43. §. pen. de furt. Respondet Wesenbecius Ulpianum eo loco de iactu spontaneo loqui, de eo videlicet qui simpliciter nec urgente ulla necessitate res aliquas in mare projicit: hunc in hac actione mere voluntaria credibile esse pro derelicto velle habere id quod videtur ut perituro iactate. Quam responsonem, licet eam ut ineptam explodat Bachovius, locus ipse non parum juvat; nam ex fine d. 9. pen. manifestum est Ulpianum distinxisse inter id quod simpliciter & non simpliciter iactatum sit.

Cum ipsa navi maris periculum effugiat Mercator numquam mecum suarum iactatum faceret nisi speraret majus se malum hoc pacto declinatorum, mortem nimirum. Facit igitur hoc exō ἀνεπίτητος δούλος (volens quidem sed animo reluctante) ut hæc actio mixta sit ex spontaneo & invito. Invita est si causam species que extrinsecus impellit ut iactura fiat & spontanea si causam proximam & principium intererum, consilium mortis vitandæ. Quin etiam plus voluntarii quam invitii hujusmodi actiones habent; nisi enim voluntate consentiente fierent, in exequendo ministerium non præberent membra corporis. Consulte Aristot. 3. etib. 1.

Lucrandi animo. Secus est si hoc animo ut rem salvam faceret & restitueret domino, aut si putans simpliciter sponte iactatum pro derelicto habitam, d. l. 43. §. 6. & 11. de furt. Bene hoc intellexit Demones in Rudentibus Plautina, qui vidulum à servo suo in mari repertum alienum esse iudicavit non suum, aff. 4. scen. 2.

2. Quæ de rheda currente cadunt. Comparantur res in tempestate ejectionis cum his que iter facientibus decidunt de curru aut que imprudentibus excidunt in via, quas cerum esse dominorum permanere, eunque qui alienum quid jacens in via lucri faciendæ causa tollit furti obstringi, in tantum ut nihil intenderit seiverit an ignoraverit ejus esse; nihil enim ad furtum minuendum facit quod ejus sit ignoret, d. l. 43. §. 4. quippe cum omnem scire debeant, quod suum non est hoc ad alios modis omnibus pertinere, l. 1. in r. C. unde videtur et si non ut lucratur sustulit, sed redditur et si ejus id esse postea apparuerit, furti non tenetur. Proinde si nescit cuius sit, recte

recte probeque faciet si libellum proponat continente invenisse se & redditurum ei qui suum id esse demonstraverit; hoc enim factio palam ostendit se non tulisse eam rem animo furandi, d. l. 43. §. 7. & seqq.

3. Quid ergo si post hujusmodi libellum propositum, aut (sicubi consuetudo) post insinuationem præconis voce factam nemo sese offerat qui rem inventam ut suam repetat? Poterit inventor, si pauper est, eam sibi ceu munere Dei collatam retinere; si dives esse bene & pie fecerit si in usus & alimoniam pauperum eam convertat. Ita Barr. ad d. l. 43. §. 4. Fab. Cantuinc. Schneid. hic. (Canonice cum bona Theologorum parte dicerent, non tantum bene & pie sed ex justitiæ & conscientie debito faciendum).

4. Verum illi hoc obiter etiam tractant, an si qui rem alienam invenit & indicavit, si nihil impensæ ejus gratia fecit præmium iudicii honeste petere possit. Et ajunt non posse, quamvis titro oblatum honeste accipiatur, quod etiam satis aperte significat Ulp. d. l. 43. §. 9. ubi pro eo quod in vulgatis editionibus omnibus atque in ipso etiam Pisano codice legitur: Quid ergo si, & cetera, que dicunt, petatis &c. Budeus ex vestigiis exilibus antiqui exemplaris, ut ipse ait, restituit: quid ergo si ea que dicunt Græci, & cetera, petat; sed nulla necessitas. Nam & cetera, non minus Græcum est, quam & cetera; atque ut hoc præmium indicere ita illud præmium inventionis significat. Illud non ambigitur, posse si res nondum reperta est ejus perquirendæ nomine & peti honeste iudicium & accipi, fac. l. 5. §. 4. de cond. ob turp. caus. Hac eadem in causa sunt etiam bona naufragorum; & peculiaris etiam poena in eos qui quid eorum in litus expulsum surripuerunt nova lege constituta est publicatio omnium bonorum, aut, navigis C. de furt. que desumpta est ex constitutionibus Frederici Secundi de statutis & consuetudinibus contra Ecclesie libertatem editis collendis, coll. 10. VINS. Uti apud omnes fere populos maris accolas, ita in Hispania antiquitas invaluisse videtur consuetudo res in tempestate ejectionis, vel naufragio perditas, atque in litore inventas, aut è mari extractas, fisco aut domino loci vindicandi. Ceterum morem hunc non satis humanum posteriores leges severissimis sanctionibus coercuerunt. II. 9. & 11. tit. 10. lib. 7. Recop. ADDIT. Graviter in præcipitem illam publicationem rerum ad litus ejectionum lib. 1. de republ. cap. 10. invehitur Bodianus: Barbarum id quidem, inquit, & antiqui inusitatum,

Ναυαγίῳ ἢ καὶ ἑτέροις ἀλλοτρίοις γένεσι (Naufragus huc hospes venio, genu invito latum) Dion Prusænsis orat. 7. de naufragio locutus:

Μὴ γὰρ ἴσιν ποτὶ, & Ζεὺς, λαβοῖς μὲν ἀπελάσσει κτελεῖς τοῦτο ἀπὸ ἀδελφῶν δούλοισι. (Asit enim, & Jupiter, ut quid ego unquam aut capiam, aut iurum hujusmodi ex hominum calamitate mihi comparem). Potest etiam huc accommodari locus Cassiodori lib. 4. var. 7. ubi sic scribit: Crudelitatis genus est ultra naufragium velle deicere, & illos ad dispendia cogere quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse. Add. autb. navigia C. de furt. Gail. 1. obs. 18. Gudelin. lib. 5. de jur. nov. cap. 10. Christin. vol. 5. decii. 64. Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 7. in pr. Groenew. de legib. abrog. ad l. 1. C. de naufrag. & ibi alleg. Mornac. ad l. 2. in fin. l. 4. §. 1. l. 9. & ibid. not. nostras ad Pet. Peck. de leg. Rhod. Doctiss. Salmassius cap. 5. de mod. usur. putat non Constantin. in sed Antoninum auctorem esse memoratæ constitutionis sub tit. C. Jurin. de naufrag. id stilum ostendere & veteres libros testari: nec retulit tam esse sub eod. tit. in Cod. Theodosianum, quod D. Contius antea observavit. Ea autem constitutione Antoninum abrogasse legem Rhodiam qua parte naufragia fisci esse & ad publicanos pertinere sanxerat, τὰ ναυάγια τῶν τολοῦν ἴσιν (naufragia publicanorum esse) atque esse hanc constitutionem posteriorem rescripto ejusdem Antonini quod extat in leg. ἀγίων 9. de leg. Rhod. quod naufragos ad legem Rhodiam remisit. Ostendit etiam rescriptum istud multis modis corruptum esse, & in dict.

dicitur constitutione pro: *vel si quando reliquam terram attingeret*, ut omnes libri scripti habent, legendum: *vel si quando reliqua terram attingeret*. Nec dubium quin in *d. l. de iuris p.*

de leg. Rhod. pro: *ὅτι τῶν διακρίτων*, ex eisdem Salmatii sententia quam & Grotius probat, respondentum sit: *ὅτι τῶν διακρίτων*, id est, *διακρίτων*, à publicanis.

TITULUS II.

DE REBUS CORPORALIBUS ET INCORPORALIBUS.

Continuatio.

Quæ de acquirendo jure gentium dominio dicta sunt titulo præcedenti, ea pertinent dumtaxat ad acquisitionem rerum corporalium. Sunt autem & res quedam incorporales, quæ & ipsæ in patrimonio sunt & suis quoque modis prout earum fert natura tum jure gentium tum civili singulis adquiruntur. Non est igitur principalis divisio quæ hoc titulo proponitur, sed subdivisio quedam rerum privatarum sive earum quæ in bonis aut patrimonio sunt. Gajus hanc principali continenter subiecit, *l. 1. §. 1. de div. rer.* unde huc transtulit Justinianus.

TEXTUS.

Secunda rerum divisio.

Quædam præterea res corporales sunt quedam incorporales. Corporales hæ sunt quæ sui natura tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales autem sunt quæ tangi non possunt, qualia sunt ea quæ in jure consistunt, sicut hereditas, usufructus, usus & obligationes quoquomodo contractæ. Nec ad rem pertinet quod in hereditate res corporales continentur: nam & fructus qui ex fundo percipiuntur corporales sunt, & id quod ex aliqua obligatione nobis debetur plerumque corporale est, veluti fundus, homo, pecunia: nam ipsum jus hereditatis & ipsum jus utendi fruendi & ipsum jus obligationis incorporale est. Eisdem numero sunt & jura prædiorum urbanorum & rusticorum quæ etiam servitutes vocantur.

COMMENTARIUS.

1. Inter res corporales etiam nummos recte numerari.
2. Ea quæ in jure consistere dicuntur non esse mera entia rationis.

3. Quo sensu hereditas, usufructus, obligatio jura dicantur & rebus ipsis opponantur.

4. Hereditatem proprie neque successionem esse, neque jus succedendi, neque rem quæ succedit, sed jus quod per successionem acquiritur.

5. Jura prædiorum quo respectu servitutes dicantur.

SUI natura tangi possunt] Hoc est quæ sub tactum cadunt, quas si presentes sint corpore & manu apprehendere ceterisque sensibus percipere possimus. Aut autem hujusmodi res esse fundum, hominem &c. fundum, puta Tusculanum; hominem, Scipium & res nimirum singulares & substantias primas: nam secundæ substantiæ sive universalis à sensibus remota sunt, Arist. 1. analyt. cap. 31. Utrum autem universalis sint merum opus intellectus & signenta phantasie, an quid realem essentiam habens & revera subsistens in rebus singulis Philosophorum disputatio est. Vixit. Sicut hæc vere Stoica. Cum enim hi philosophi sensus omnes reducerent ad tactum, corpus definiebant quod tangi possit. Sêneca epist. 106. *Item corpora sola esse adfirmabant, corporales res non esse sed intelligi.* Cic. Top. cap. 5. Illa res vocabant, hæc jura. Quintilian. Inst. 7. 10. Et inde facile patet cur Paulus servitutes nec in bonis nec extra bona esse dicat. Hein.

1. Aurum, argentum] Non tantum rude sed etiam signatum, nummi aurei aut argentei, licet contra disputet D. Hotomannus H. Inst. quest. 15. Nam oppositum est in apposito sive contradictio in adjecto, si quis dicat argentum signatum corpus non esse. Spectatur quidem in pecunia maxime valor publicus, *l. 1. de contr. emt.* & respectu hujus valoris numerus nonnumquam opponitur isti rebus in quibus præter corpus nihil consideratur, ut in *l. 46. de condit. ind.* Ceterum qui nummos & pecuniam negant aliud esse aut significare quam valorem & quantitatem, ne illi vehementer fil-

DE REBUS CORPORALIBUS ET INCORPORALIBUS.

falluntur. Utrique enim & materialiter pecunia considerari potest, cum materia pecunie argentum, aurum fundamentum sit valoris; de quo bella & doctæ Salmasii lib. de usur. pag. 455. Et corpore etiam in pecunia cogitari posse non quantitatem dumtaxat, testis est Papinian. *l. 94. §. 1. de solut.* Quin Justinianus hoc ipso tit. & Gajus *l. 1. §. 1. de div. rer.* expresse pecuniam inter res corporales numerant. Denique quid notius est quam nummos æque ac cetera corpora vindicari posse? Nihil ne movet quod apud Pomponium *l. 129. §. 2. de cond. ind.* legitur: si falso existimans me debere nummos solvere qui partim alieni partim mei fuerint, ejus summæ partem dimidiam, non corporum, me condicere. Nam & si frumentum meum cum alieno commixtum cui non debebam per errorem solvissem, responderet Jurisconsultus non dimidiam partem corporum sed quantitatis condicendam; neque tamen ex eo quisquam colligeret frumentum rem esse incorporalem; sed habet hoc hæc rationem, quia confusum corpora mea & aliena solvi non ut certas species, sed existimans me debere certam quantitatem. Quid quod eo ipso quod ait, *me non condicere partem corporum* faceret corpora esse. Nihil etiam quod Ulpian. *l. 5. in pr. de imp. in res dot.* scribit diminutionem dotis per impensas necessarias fieri ipso jure ubi non sunt corpora sed pecunia. Neque enim corpora pecunie opponit ut non corpori, sed eadem ratione qua eodem loco corpora opponit corpori æstinato, quod utique nemo dixerit rem esse incorporalem; & nimirum, ut res quæ in specie restituenda sunt res incorporales quæ in genere functionem recipiunt. Constat enim pecuniam esse rem fingibilem, & ejusmodi res eodem jure ac obligatione in dotem dantur, qualis est in mutuo, ut scilicet soluto quantoque matrimonio maritus non eadem corpora quæ accepit reddat, sed tantumdem, *l. 42. de jur. dot.* Idem respondendum ad *l. ult. de adm. leg.* Alibi cautius summa aut numerata pecunia non simpliciter corpori sed certo corpori opponitur, *l. 68. pr. ad un. Treb. l. 10. de accept.*

Qualia sunt quæ in jure consistunt] Res omnes quæ tangi aut demonstrari non possunt sed animo tantum cerni atque intelligi incorporales quidem sunt; verum non omnium earum rerum consideratio Jurisconsulti propria est. Nam & Angeli & spiritus & anime esse incorporales. Illa quoque quæ à Cicetone in Topic. enumerantur, usucapio, tutela, gens

agnatio, quamvis harum rerum tractatio ad Jurisconsultum pertinet, non sunt tamen hujus loci, in quo de his rebus agitur quæ adiri possunt & patrimonium nostrum augent. Usucapio autem non est res quæ acquiritur sed causa & modus acquirendi, uti & gens & agnatio; gente enim & agnatione hereditas obvenit. Tutela onus est & munus publicum.

2. Quid est ergo quod ait, *quæ in jure consistunt? Jus est*, inquit Wesembæcius, *intellectus seu recta ratio. Quæ igitur in jure consistunt, ut alia omnia quæ sunt rationis, ea tantum intelliguntur*, inquit, *non sunt*. Ita loquitur Wesembæcius quasi existimet ea quæ in jure consistere dicuntur esse mera entia rationis & intentionalia dumtaxat: quomodo & D. Tuningius qui ea dicit esse notiones & intelligentias quas Platonici ideas vocant; neque aliud Judicium Donelli *lib. 5. comm. 1.* Sed quæso, quid tam absurdum est quam dicere hereditatem, bonorum possessionem, usufructum, servitutes prædiorum, pignus, obligationes, actiones signenta esse intellectus, natura nihil esse? Anabo res, si tibi luculenta hereditas relicta sit aut opulenti patrimonii usufructus, somniantne esse putabis phantasie aut ideam Platonice? quamquam sunt *ἀφαιρέτα καὶ εὐταξήγητα (in tangibilia, nec manu tractabilia)*. Sic autem habendum est res hujusmodi in jure consistere dici & his corpora opponi, non quia revera & natura non sint aut extra considerationem juris non subsistant, sed quia à jure quodammodo existentiam suam, hoc est certam ac definitam formam accepturam. Quippe jus civile harum rerum naturam quasi pro arbitrio formare potest; cujusmodi potestatem in rebus corporalibus non habet. Atque hoc sensu accipiendum quod Fab. & Ang. tradunt, ea dici in jure consistere quæ à jure substantiantur creantur & nominantur. Habent enim utique & veram suam essentiam, siveque omnino entia realia sicut & quævis alia accidentia. Ita proponendum & D. Bachovius.

3. Sicut hereditas, usufructus, usus & obligationes.] Hæc omnia hæcque quidem recte conjunguntur quatenus jura sunt sive res incorporales. Ceterum dissimilis harum rerum ratio est quatenus rebus ipsis opponuntur, ut mox ostendemus. Hereditas universitatem bonorum significat in quæ heres succedit; & quia appellatione sua universon bona omnia & jura defuncti etiam quibus iste alius tenebatur comprehendit, hæc consideratione non inepte jus dicitur, *l. 129. l. 178. §. 1. l. 208. de verb.*